



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Henrici Canisi[i] Noviomagi, Belgæ, Jn Academia
Ingolstadiensi SS. Canonum Profess. Ordinarii & Primarii,
Opera Quæ De Ivre Canonico Reliqvit**

Canisius, Heinrich

Coloniae Agrippinae, 1662

In Tit. XIV. De Consanguinitate Et Affinitate.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62169](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62169)

IN TIT. XIV. DE CONSANGUINITATE ET AFFINITATE.

SUMMARIA.

1. Consanguinei qui dicantur.
2. Fratres consanguinei, utriusque Germani.
3. Consanguinitas quid.
4. Affinitas quid, & unde oritur.

Consanguinitatis nomen late patet hoc jure nostro, complectiturque omnes eos, qui sanguine inter se connexti sunt, *can. Nullum* & *can. de propinquitate xxxv. quæst. 2.* etiam si ex injusta conjunctione parentum hinc nati, *c. Per tuas 10 sup. De probat.* aliter de jure civili, quo consanguinei dicuntur, qui inter se fratres sunt, vel sorores. Reliqui dicuntur agnati vel cognati, *l. 1. §. consanguineos cum l. seq. D. De suis & legit. §. vulgo Instit. De success. agnat.* Quamvis hodie solemus vocare fratres consanguineos, qui eundem patrem sed matrem diversam habent: Uterinos, qui eandem matrem, sed diversum patrem habent: Germanos vero fratres, qui eodem patre, eademque matre nati sunt. Et quamvis omnes homines totius mundi secundum significationem juris Canonici videri possent inter se consanguinei, utpote qui à primo parente Adamo descendamus, sacri tamen Canones infinitam illam consanguinitatem non attendunt, sed quatenus ea impedit matrimonium contrahendum. Quod tum accidit, quando contracturi intra quartum consanguinitatis gradum sunt constituti, non si ultra hunc gradum sint, *c. Non debet per h. tit.* Nam putant virtutem sanguinis, quem à communi parente traxerunt, ad quartum usque gradum perdurare, & quodammodo extinctum esse in iis, qui quinto consanguinitatis gradu à se invicem

distant, ut latius dicitur *inf. eod. ad d. c. Non debet.*

Unde consanguinitas his verbis rectè dicitur, quòd sit vinculum personarum ab eodem stirpe propinquo descendentium, vel quarum una descendit ab alia carnali propagatione: *Covarr. in IV. Decretal. parte 2. cap. 6 §. 6. num. 1.* Nec dubium est, consanguinitatem rectè dici vinculum, cum & vinculum matrimonii rectè dicatur, *l. Miles 11. §. mulier D. Ad leg. tul. de adulter.* item vinculum affinitatis, *l. Si tutor 9 D. De respectu tutor.*

Affinitas verò est jus quoddam necesseitudinis, quo inter se conjuncti sunt uxor & consanguinei mariti, & è diverso maritus & consanguinei uxoris, quasi per affinitatem una consanguinitas ad alterius finem accedat, *l. Non facile 4. §. affinis D. De gradib. & affinitib.* In quo tamen hoc observandum est, quòd de jure civili affinitas non oritur nisi ex justis nuptiis, *d. l. Non facile §. affines & sequendum.* Aliter de jure Canonico, quo ex qualibet conjunctione etiam injusta affinitas nascitur, *c. Discretionem 6. & c. penult. inf. tit. prox.* Quia jus Canonicum respicit saltem commixtionem corporum, sive ea legitima sit, sive illegitima, cum per utramque una caro fiat vir & mulier, *can. In eo xxxii. quæst. 4. & c. ad Corinth. 6.* Nonnumquam affinitatis nomen productur ad consanguineos, ut etiam ii, qui affines sunt, proximi sive consanguinei dicantur, *l. Sancimus 2. c. De parent. & can. xxxv. quæst. 2.* Verùm non propriè dicitur, sed vulgari more loquendi, *per text. in can. Quod autem frater xxxv. quæst. 5.* sicut etiam hodie usitatum est inter Italos. Jam textum ipsum exordiamur.

SUMMARIA.

1. Facti species.
2. Testi injurato non creditur.
3. Matrimonium intra quartum affinitatis gradum contractum dissolvendum.
4. Etiam ex causa justitia publica honestatis orta ex matrimonio non consummato.
5. Testes in hac causa qui adhibendi.
6. An post publicata testimonia iterum produci possint.
7. Testes omni exceptione majores sint.
8. Iudices causarum matrimonialium qui.

In Cap. primum.

Facti species hæc proponitur. Vir quidam contraxerat secretò matrimonium cum quadam vidua, datà ipsi archa. Cum autem publice id testari vellet in conspectu Ecclesiæ, duo inter venerunt, objicientes hos inter se matrimonium contrahere non posse, quòd vir priorem maritum vidua quarto consanguinitatis gradu attingisset. Et quidem unus eorum id juramento suo confirmavit, alter noluit jurare. Quo factum est, ut sententia in suspensò hæserit, quia injurato testi non creditur, *c. Nuper 51. sup. De testib. & l. Iusjurandum 8. c. eodem tit. De testib.* Sed postea eadem quæstio revixit, duobus aliis jurantibus, quòd

quod prior maritus viduæ fuerit huic viro in quoto consanguinitatis gradu conjunctus. Hac de re consultus Alexander III. mandat Casienfi Abbati, ut testes ad se convocet, juratos audiat, & si comperit legitimè, quod a quarto consanguinitatis gradu se invicem contingebant, divortii sententiam inter eos pronuntiet. Postea subicit idem Alexander III. quod causa matrimoniales non sint tractandæ per quoslibet, sed per judices discretos, qui potestatem habeant judicandi, & statuta Canonum non ignorent.

Itaque ex hoc textu constat, matrimonium intra quartum affinitatis gradum contractum dissolvi debere. Idem statuitur in c. Non debet 8, hoc tit. Et ratio est, quod æquè abstinendum est à consanguineis viri, sicut à propriis, & è contrà, propter carnis unitatem, quæ antè intercessit eum priore marito per utriusque copulam, can. Nullum in utroque, can. Penaliter cum duob. seqq. xxxv. quest. 3. & text. hic.

4 Sed quid si carnis copula cum priore marito nondum intercesserit? Hoc casu etsi nulla affinitas contracta sit (siquidem ea oritur ex sola conjunctione carnis, d. can. Nullum in utroque & ibi Glos. & cap. Discretionem 6, sup. proximo tit.) nihilominus ex alio capite prohibentur contrahere matrimonium, propter publicam honestatis justitiam, quæ & ex matrimonio non consummato nascitur, d. cap. Discretionem, Glos. ad d. can. Nullum in utroque, Panorm. ad c. Sponsam sup. De sponsalib. Covarr. in 4, Decretal. parte 2, cap. 6, §. 7, n. 2, & 3, videlicet ad quartum gradum inter consanguineos viri & mulieris; licet publicæ honestatis justitia, quæ ex sponsalibus de futuro exurgit, primum tantummodò afficiat, non secundam, aut ulteriorem, ex dispositione Concilii Trid. Sess. 24, c. 3, de reformat. matrim. & fusius docuimus ad c. Invenis sup. De sponsal.

5 Illud eleganter ex hoc textu nostro notat Panorm. hic num. 6, quod ubi agitur ad impediendum vel dirimendum matrimonium, propter impedimentum canonicum, eisdem, qui deauntiant, vel accusant, posse esse testes, contra textum in can. Nullum unquam IV. q. 4, quo prohibentur iidem esse accusatores & testes simul. Sed id verum est, quando de commodo accusatoris, vel incommodo accusati agitur. At hoc textu nostro agitur de vitando peccato, quod oritur ex illicito matrimonio, c. Non debet inf. eod. facit 6. In omni 4, sup. De testib. ubi & id fusius persequitur Panorm.

Adde aliud singulare, quod hic post publicationem testium iterum testes produci possint, 6 contra textum in §. quia verò circa fin. Novel. de testib. in c. 2, eod. tit. in Clement. quibus post publicationem testimoniorum factam non admittitur productio aliorum testium in eadem causâ, propter timorem subornationis, ut ait textus in d. cap. 2, Sed singulare est in hoc textu, cum agatur de separando matrimonio: nam cum ipsa quoque sententia contra matrimonium lata, vel etiam pro matrimonio, ubi scilicet reverà subest impedimentum canonicum consanguinitatis, affinitatis, vel simile, non transeat in rem judicaram, sed semper adhuc novæ probationes in duci possint, c. Lator & c. Consanguinei 11, sup. De sentent. & rejud. multo magis poterunt post publicationem, antequam sententia lata sit, ut hic, de quo latius And. Gail lib. 1, obser. 112.

7 Requiritur tamen, ut hi testes sint omni exceptione majores, hoc est, nullâ exceptione legitimâ repelli possint a dicendo testimonio, Glos. hic, quam notandam censet hic Panorm. & Præpos. Et inter hos etiam sunt parentes, & his deficientibus proximiores cognati, qui & extraneis testibus præferuntur, cum hi magis genealogiam suam, quam alii perspectam habeant; licet in aliis causis contra sit, in quibus parentes & liberi non possunt sibi invicem esse testes, c. 3, inf. Qui maritum accusare poss. can. 1, & 2, xxxv. q. 6, junctâ l. Testis 9, D. De testib. & l. Parentes 5, C. eod. tit. De testib.

8 Ultimò observandum est hoc textu nostro in fine, causas matrimoniales per judices discretos & peritos esse tractandas, qui non nisi hæclesiastici esse possunt c. 2, sup. De jud. Conc. Trid. Sess. 24, de Sac. matr. can. ult. qui hodie soli sunt Episcopi, ex decreto Conc. Trid. d. Sess. 24, c. 20, §. ad hæc de reformat. nam olim etiam alii poterant matrimonii causas cognoscere, qui scilicet vel ex privilegio, vel legitima præscriptione acquiriverant, s. Accedentibus 12, in fine inf. De excess. Pralat. Sed id sustulit Conc. Trid. solummodò permitteus Episcopo cognitionem causarum matrimonialium, d. §. ad hæc, junctò §. fin. ejusd. c. 20.

Non tamen tenetur ipse Episcopus per se hanc cognitionem suscipere & exercere, sed poterit etiam per alium, c. Cum Episcopus 7, De officio Ordinis in 6, veluti est Officialis vel Vicarius ejus. Cujus cum idem sit cum Episcopo consistorium, & ab eo non appelletur ad ipsum Episcopum, sed

In Cap. Supereo 2.

SUMMARI A.

1. Sponsalia propter supervenientem affinitatem dissolvuntur, etiam ex sola fama.
2. Secus in matrimonio dissolvendo: & ratio diversitatis.

Circa hoc Cap. non est quoddam diu immoremur. Tantum deciditur, sponsalia, quae appellamus de futuro, dissolvi propter affinitatem, quae secuta est ex concubitu sponsi cum consanguinea sponsae, aded etiam si concubitus manifestus non sit: adde nec legitime probatus sit per testes, sed saltem fama loci id habeat. * Diversum est, si ageretur de matrimonio dirimendo, propter affinitatem praecedentem: nam hac specie non sufficeret fama viciniarum, sed legitima probatione opus esset, *c. 3, sup. tit. prox.* ubi rationem hanc attulimus in sponsalibus, ut

periculum avertatur, ne si inter se contrahant matrimonium, forte sibi invicem affines sint: idcoque propter famam viciniarum, vel etiam ob unius dictum prohibetur inter eos matrimonium. At in matrimonio dissolvendo ex causa allegata affinitatis non sufficit fama viciniarum aut dictum unius, sed legitima probatione opus est, *d. c. 3, & 5, sup. De eo qui cognovit consang.* cum res sit majoris momenti, atque idcirco cautius tractanda, *c. 3, De elec. lib. 6, l. 1, §. sed & si quis D, De Carbon, edicto.*

Quid autem juris sit, ubi sponsus & sponsa, non obstante prohibitione iudicis Ecclesiastici vel Parochi, inter se matrimonium contrahunt, dicitur *inf. tit. De matrimonio contracto contra interd. Eccles.* De qua autem consanguinea sponsae hic text. exaudiendus sit (nec enim de qualibet intelligi debet) commodius tractabitur *ad c. Non debet inf. hoc nost. tit.*

In Cap. Quod dilectio 3.

SUMMARI A.

1. Quoto gradu remotior distat à stipite, eodem distat ab alio stipite propinquiori
2. Gradus remotior à stipite an considerandus in dispensatione.
3. Consuetudo interpretatur jus.
4. Dispensatio accipit interpretationem à jure.
5. Matrimonium olim interdictum inter consanguineos usque ad septimum gradum.
6. Dispensare & dispensatio quid sit
7. Pontifex tantum dispensat in jure humano.
8. Pontificis est jus divinum vel humanum declarare.
9. Ut & Principis secularis interpretari preceptum naturale, Non occides.
10. Ius civile quomodo aliquid addat vel detrahat juri naturali.
11. Par in parem vel superiorem non habet imperium.
12. Pontifex in quoto gradu consanguinitatis dispensare possit.
13. An inter ascendentes & descendentes?

14. Inter transversales qua sit prohibitio.

15. Dispensari in primo affinitatis gradu an possit.

16. Matrimonium inter fratrum & sororum liberos an licitum

17. Dispensatio in gradibus veteri lege prohibitis an hodie recte fiat.

Legatus provinciarum suarum hominibus auctoritate Apostolica indulserat, quod possent in sexto consanguinitatis gradu inter se contrahere matrimonium. Verum accidit, quod unus contrahentium sexto vel septimo, alter vero secundo vel tertio gradu distaret à communi stipite, ex quo uterque descendebat. Hinc dubitatum fuit, an hi vigore hujus indulgentiae sive dispensationis matrimonialiter inter se conjungi possint?

Quod prima fronte videbatur, propter regulam quae traditur hoc textu nostro & *in c. fin. inf. eod.* Quoto gradu remotior distat à stipite, eodem gradu distat à quolibet alio per aliam lineam ex eodem stipite descendente; siquidem remotior

motior gradu proximiorum ad se trahit favore matrimonii. Sed aliter hac de re consultus S. Pontifex rescribit hoc cap. nostro, eos scilicet matrimonio conjugari non posse, non obstante indulgentiæ Legati Apostolici. Ea enim accipienda est de viro & muliere in eodem sexto gradu constitutis, non si unus in sexto, alter in proximior gradu sit.

Nec movet prædicta regula, quia hæc in se quidem vera est, sed locum non habet in specie hujus cap. nostri, quod contrarium in ea provincia consuetudine obtentum erat, ut hujusmodi indulgentiæ sive dispensationes non aliter intelligerentur, quam si uterque eodem sexto gradu censeretur, *Glos in verb. uterque conjugendorum, Panorm. num. 7, ubi & Hostial. & Joan. Andr. in eandem sententiam citat Felii ad c. fin. n. 8, in fine inf. de Simonia & Did. Covarr. in 17. decretal. p. 2, c. 6, §. 10. n. 26.* Itaque consuetudo loci facit, ne indulgentia vel dispensatio accipiat interpretationem à jure. Nam si consuetudo potest derogare juri scripto, c. fin. & ibi *Id. sup. De consuet. & l. De quib. 32, in fine D. De legib. cur. non etiam interpretari. Si de interpretatione 37, D. d. tit. De legib. c. Cum dilectus 8, circa med. sup. De consuet. Alioquin si extra consuetudinem sumus, standum est dispensationi, prout interpretationem recipit à jure & sic in præsentibus arguendo, si S. Pontifex, vel ex mandato ipsius Legatus Apostolicus, dispensat in matrimonio contrahendo cum duobus, quorum unus est in remotiori gradu, alter in proximior gradu: tum hic remotior gradu favore matrimonii trahit ad se proximiorum & in eodem secum gradu collocat, ut antè dictum est.*

Neque obstat, quod dispensatio stricti juris sit, hoc est, extra suos limites extendi non debeat, *per text. in c. 1, in fine D. De filiis Presbyt. in 6, Nihilominus enim accipit interpretationem à jure, ut eleganter hic tradit Panorm. per text. in c. Ad audientiam sup. De decimis, & in c. His inf. De privileg. sicut & statuta, quæ tendunt contra jus commune, licet odiosa & stricti juris dicantur, tamen & hæc declarationem recipiunt ex jure communi, l. 2. C. de noxalib. action. Vide latius Covarr. jam allegato loco.*

Neque, hic prætereundum est, textum nostrum, dum meminit sexti gradus, exaudiendum esse secundum antiquos Canones, quibus interdictum erat matrimonium inter consanguineos transversales usque ad septimum gradum, *can. 1, De consanguinitate & con. Niphi xxxv. qu. 3, non*

verò secundum jus recentius, quo tres posteriores, videlicet quintus, sextus, & septimus sublatis sunt, per generale Concilium Lateranense, ita quod nulla dispensatio hodie in his tribus gradibus necessaria sit, *per text. in c. Non debet h. t. ut ibid. latius dicitur.* Nihilominus eadem decisio textus nostri accommodanda est ad quatuor priores gradus prohibitos, ut scilicet in his idem observetur, quod olim in quinto, sexto, aut septimo gradu *Butr. & Panorm. hic Ut & hinc eleganter notet idem Butrius hic n. 11, quod quis possit leges abrogatà uti, quando jus non est correctum in substantia (ut ipse loquitur) sed in sola positione exempli, hoc est, quando juris dispositio ejusdemque ratio mutata non est per aliud jus contrarium, sed tantummodò proposita facti species in aliam mutatur.*

Cæterum de dispensatione hic paulò alius dispiciamus. Est autem dispensare propriè idem quod distribuere sive expendere. Nam hinc apud Jureconsultos, dispensatores servi hi dicuntur, qui familiarum rationibus, id est, expendendæ & recipiendæ pecuniæ præpositi sunt, *l. Dispensatori 51, & l. Dispensatorum 62, D. De solut. & §. rectè, in fine Instit. De mand. Similiter qui Principum pecuniæ curant, earumque administrationem gerunt, dispensatores appellantur in l. 1, C. Si advers. fisc. & in l. 4, C. De fide instrum. Ad horum igitur similitudinem utuntur summi Pontifices hoc verbo dispensationis pro exceptione sive solutione à Canone juris, quando scilicet alicui gratia fit, ne eo canone amplius ligetur. Hoc enim eo ipso summus Pontifex, vel alius superior, qui jus dispensandi habet, aliter distribuit sive expendit, potestatem suam in remittendo scilicet jure alicui, quo antea obstringebatur. Unde & hæc dispensatio dicitur indulgentia, *hic & in can. Interfectores xxxiii. q. 2.**

Dispensat verò summus Pontifex in jure humano sive positivo, quod in sua potestate est, *c. Innovavit 20, sup. De elect. non verò in iis, quæ sunt juris divini vel naturalis. Nam neutrum est suum, siquidem jus divinum à Deo institutum, & profectum est, cui S. Pontifex tamquam inferior Deo derogare non potest, c. Cum inferior sup. De major. & obedient. can. Inferior sedes 21, dist. c. 2, De elect. in Clement. Licet enim S. Pontifex Christi vices gerat in terra, c. 2, & 3, sup. De translat. Episc. non tamen in iis, quæ à Christo Salvatore nostro pro necessitate vel utilitate Ecclesiæ constituta sunt:*

nam hæc perpetuam firmitatem habent, nec retractari possunt à summo Pont. *can. Sunt quidam xxv q. 1. junctâ ibid. Glos.* Idem dicendum est de jure naturali, quod & divinâ quâdam providentia, ut loquitur Justinianus, constitutum semper firmum & immutabile permanet, §. *penult. Instit. De jure nat.*

Non impeditur tamen summus Pont. ea, quæ divini vel naturalis juris sunt, interpretari sive declarare, ut aliquo in casu locum non obtineant. Ut exempli gratiâ de Baptismo extat hæc Christi sententia apud Joan. 3. *cap. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto non potest introire in regnum Dei.* Nam rectè declarat summus Pont. hæc sententiam non pertinere ad eos, qui baptismum quidem desiderant, sed propter necessitatem ab eo excluduntur, c. *Debitum 4. sup. De baptismo hoc. 2. sup. De Clerico non baptizato.* Item apud Matth. extat c. 19. *Quod deus conjunxit, homo non separet.* Declarat & hoc S. Pont. non habere locum in matrimonio nondum consummato per carnis copulam, c. *Debitum 5. sup. De bigamis.* Atque idcirco non est planè insolubile, eum per Religionis ingressum, vel auctoritate Apostolicâ aut summi Pontificis dissolvi possit, c. 2. *Ex publico 7. sup. De convers. conjug. & latius dixi supra ad ut. Qui Clerici vel vorvantes.*

Qua ratione & Princeps secularis interpretatur hoc præceptum naturale, *Non occides,* non habere locum, ubi quis defendendi sui causâ hominem occidit, l. 2. c. *Ad L. Corn. de sicar. & l. V. rim D. De justit. & jure.* Item ubi quis publicâ auctoritate, postulante ita justitiâ, occiditur. Nam in his & similibus nihil defogat juri naturali, sed declarat, sive interpretatur, jus naturale ad hos & similes casus non pertinere. At verò qui rem declarat, nihil addicit vel immutat in re, l. *Heres palam 21. §. 1. D. De testam.*

Quo sensu exaudiendus est Ulpiani locus in l. *Luc. civile 6. D. De just. & jure,* dum inquit, Jus civile tunc fieri, cum aliquid additur vel detrahitur juri naturali. Nam detractio hæc sive immutatio pro declaratione accipienda est, quod scilicet ob certas rei circumstantias quibusdam casibus jus naturale sive gentium cesserit, non verò, quod re ipsâ juri naturali sive gentium aliquid detrahatur. Id enim planè absurdum esset, ex additione sive detractioe juris naturalis, quod utique non idèò naturale esse desinit, contrarij jus civile: cum & eodem auctore Ulpiano

jus civile ars æqui & boni dicatur, l. 1. D. *De just. & jure.*

Itaque summus Pontifex tantummodò dispensare potest in iis, quæ jure humano sive positivo introducta sunt, hoc est, ab aliis Pontificibus vel Conciliis etiam generalibus; cum patet in patem vel superiorem non habeat imperium, d. c. *Innocentius 20. sup. De elect. & l. Nam magistratus 4. D. De recept. arb.*

Quod cum ita sit, re & potuit S. Pont. per se, vel mandato si opet Legatum in sexto consanguinitatis gradu dispensare, sicut & olim dispensavit cum Anglis in quarto gradu. Imò & in tertio & in secundo gradu posse dispensare docet Concilium Trid. *Sess. 24. cap. 5. de reformat. matrim.* siquidem hoc prohibetur inter consanguineos & affines, non divino aut naturali jure, sed humano per sacros Canones introductum fuit, c. *Non delet inf. eod. & Concil. Trid. d. loco can. 4.* An autem in primo consanguinitatis gradu, id est, inter fratrem & sororem possit dispensare, paulò post dicemus. Quare idem retinendum erit & in aliis impedimentis matrimonii, ut sunt publicæ honestatis, cognationis spiritualis, & legalis, adulterii, homicidii, & similitum, de quibus superioribus titulis egimus, quæ & humani juris sunt, non divini aut naturalis, & consequenter in iis dispensare potest S. Pontifex. Quæ autem non sint divini juris, ex eo liquet, quod nullâ lege Evangelicâ prodita sint, etiam si quædam lege veteris Testamenti contineantur, de quo infra la. d. is.

Cæterum inter ascendentes & descendentes perpetua est prohibitio, sicut apertè restatur in Pauli s. J. C. in l. *fin. D. De ritu nuptiar. Jure gentium* (i. quiens) in cestum committit, qui ex gradu ascendentiæ vel descendentiæ uxorem duxerit. Unde inter eos dispensari non potest, ut matrimonium inter se incant, licet D. Thomas, Bonavent. & alii tantummodò putent inter ascendentes & descendentes primo gradu jure naturali matrimonium prohiberi, secus verò in secundo & ulteriore gradu, prout eos refert Did. Covarr. in 4. *Decretal. cap. 6. §. 10. n. 22.* Quo fit, ut ex eorum sententia avus cum nepte, avia cum nepote, qui secundo gradu à se invicem distant, possint, ex dispensatione in matrimonium convenire. Quibus ego certè accedere non possum, propter responsum Pauli Jurisconsulti in d. l. *fin.* Sed & Scotus, Durandus, & alii ab hisdem dispensant.

sentiunt, teste eodem Covarr. *jam d. loco*, tum & ibidem ipse Covarr. Et indignissimum esset, parentes liberis suis conjugii, & utrumque eam necessitatem contrahi, ut alter ab altero cogi possit ad mutuam cohabitationem ad præstationem debiti conjugalis.

14 Quoad transversales, sive ex latere ex communi parente venientes, inter hos prohibitio matrimonii est usque ad quartum gradum inclusivè, *cap. Non debet inf eod.* Idque humano jure, non divino aut naturali introductum esse, sunt qui affirmant, ad eò ut inter fratrem & sororem naturali jure possit consistere matrimonium. Quorum sententia juvatur exemplis filiorum Adæ cum sororibus suis conjunctorum. Sed certius est, inter fratrem & sororem tantummodo matrimonii prohibitionem esse juris naturalis, non verò in ulterioribus gradibus. Idque probat textus *in can. Cum igitur xxxv q. 1*, proinde in hunc gradum nulla cadit dispensatio.

Nec movet exemplum filiorum Adæ & Evæ, quia necessitas hac conjunctionem tulit, cum alii homines non superessent: necessitas verò nullam legem habet, *cap. Quod non est licitum 4, inf. De R. I. Ar. cessante* hac necessitate, utpote aucto postea humano genere, testatur D. Augustinus *in d. can. Cum igitur*, receptum esse apud gentes etiam à Christiana professione alienas, ne conjugium inter fratrem & sororem contrahatur. Igitur hoc conjugium de jure gentium sive naturali interdictum est, *§ penult. Institut. De jure nat. gent. & civili.*

Neque obstat exemplum Abrahamæ, qui cum Sara sorore sua legitur matrimonium contraxisse, *Genes. 20*, nam sororis nomen pro nepte accipiendum est. Erat enim Sara non vera soror Abrahamæ, sed filia fratris sui Aram, & sic neptis ex fratre; sicut ex Augustino & aliis probat Covarr. *d. cap. 6, §. 10, num. 15, in fine.* Nam qui maximè propinqui erant, solebant antiquitus fratres & sorores appellari; quemadmodum & hodie fratres consanguinei vel consobrini, id est, duorum fratrum & sororum filii & filiae. Sic Cicero *lib. 5, de finib. in pr.* Lucium Ciceronem patri sui filium fratrem appellat.

Nec movet quoque exemplum Henrici VIII. Angliæ Regis, qui relictam viduam fratris sui in uxorem duxit per dispensationem summi Pontificis, cum uxor fratris mei eodem mihi gradu sit, quo ipse frater, id est, in primo gradu. Verum hoc exemplum non consanguinitatis est, sed affinitatis,

quæ etsi eundem gradum cum consanguinitate constituat, hoc tamen non proprie, sed juris interpretatione, fit propter commixtionem utriusque viri & mulieris. Alioquin nec pater & filius matrem & filiam, item nec duo fratres duas sorores ducere possent. Quod falsum est, per textum *in cap. Quod super 5, b. t.*

Quod autem in primo affinitatis gradu dispensari possit, probat textus *in cap. fin. inf. De divort. & refert Antoninus in 3, partit. 1, cap. 2, Summa Theolog. Martinum V.* in hoc affinitatis gradu dispensasse. Sed probabilius est inter eos matrimonium consistere non posse jure naturali, quia vitricus & noverca loco parentum sunt, *§. affinitatis Institut. De nupt. Et. Non facile 4, §. non solet D. De gradib. & affinit.*

16 Igitur inter ascendentes & descendentes perpetua est matrimonii prohibitio, item inter fratrem & sororem, idque jure naturali, non verò inter fratris & sororis liberos; cum & hi jure civili rectè inter se contrahant matrimonium, *§. duorum Institut. De nupt.* Ad eò ut si hi liberi ethnici fuerint, & postea baptismo lustrati, non ideo matrimonium eorum dissolvatur, quòd de jure Canonico inter Christianos non possit consistere matrimonium; sed quia semel legitime inter eos contractum est matrimonium, cum per Sacramentum Baptismi, inquit disertè textus, non solvantur conjugia, sed crimina dimittantur, *in c. Gaudemus 8, inf. De divort.* Quòd autem neque jure divino inter eos prohibicum sit matrimonium, ex eo liquet, quòd nullibi in lege Evangelica hoc cautum reperitur. Etenim præcepta legis Evangelicæ sunt omnia juris naturalis, præter præcepta de Sacramento & de fide, ut testis est D. Th. *in 1, 2, quæst. 108, art. 1, & 2*, Quare in eos cadit dispensatio: *Concil. Trid. Sess. 24, cap. 4, de reformat. in fine*, quo permittitur dispensatio etiam inter filios & filias fratrum & sororum.

17 Neque impedit textus *in c. Literas 13, sup. De restit. spoliat.* quo conjunctiones matrimoniales, quæ Levitici *cap. 18, & 20*, interdiciuntur, videlicet cum uxore fratris, cum nuru, id est, filii mei uxore, cum privigna, id est, uxoris meæ filia, & nonnullis aliis, dicuntur divinâ lege interdictæ: quia is textus exaudiri debet non de lege Evangelicæ, sed de lege veteris Testamenti, quæ aliquando divina fuit, sed postea per Christi mortem abolita, sicut & cætera omnia præcepta veteris Testamenti; exceptis tamen præceptis naturalibus, sive, ut loquimur, moralibus, quæ à

ratione naturali perpetuò mentibus nostris in-
Scripta est, *cap. unico sup. Depurificat. post part. c.*
Translatio 3, sup. De consue. D. Thom. in 1, 2, qu. 103,
art. 3, ad 2, Covarr. Variar. resol. lib. 1, cap. 17, n. 1,
Ergò in gradibus illis olim divinà lege prohibi-
tis rectè hodie dispensatio fit. Negari tamen non
debet, quia aliqui gradus in Levitico prohibiti
adhuc hodie perseverant, videlicet inter paren-
tes & liberos, inter fratrem & sororem, inter no-
vercam & privignum, quia hi jure naturali pro-

hibiti sunt contrahere, ut supra dictum est. Hinc
Canon Concilii Tridentini: Si quis dixerit, col-
tantum consanguinitatis & affinitatis gradus,
qui Levitico exprimentur, posse impedire ma-
trimonium contrahendum, & dirimere contra-
ctum, nec posse Ecclesiam in nonnullis eorum
dispensare, aut constituere, ut plures impediant
& dirimant, anathema sit. *Concil. Trident. d. Sess. 24^a*
de Sacram. matrim. can. 3.

In Cap. De infidelibus 4.

SUMMARI A.

1. Matrimonium infidelium etiam in gradu à lege
Canonica prohibito non dissolvitur ob bap-
tismum.
2. Matrimonium cur dicatur individua consuetu-
do.

Sententia hujus Cap. est, quòd matrimonium
infidelium legitimum sit, etiam si contractum
sit in gradu à jure Canonico interdicto; nec
ob id dissolvi, si alter, vel uterque eorum Bap-
tismi Sacramento initiatur. Ratio prioris membri
hoc textu redditur, quòd Christus à Judæis
interrogatus, *Matth. 19*, utrùm liceret ex qua-
dam causà dimittere uxorem respondit: *Quod*
Deus conjunxit, homo non separet. Per hoc innuens
(inquit textus noster) matrimonium esse inter
Judæos. Altera & hæc reddi potest, quòd Judæi
alioqui infideles non ligentur Canonicis san-
ctionibus, utpote quòd extra Ecclesiam sint.
Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare?
inquit D. Paulus, *1, ad Corinth. 5*, Et hanc ratio-
nem reddit Ianoc, *lib. in c. Gaudemus 8, inf. De di-*
vort. Uade fit, quòd matrimonium etiam in se-
cundo consanguinitatis gradu apud Ethnicos ju-
re subsistat, juxta § duorum Instit. De nupt. cum apud
Judæos, & apud hos quoque secundus gradus
non sit inhibitus à lege Mosaica, teste Præposito

hic, de quo vide c. 18, & 20, Levit. Posterioris ve-
rò membri, quòd scilicet hujusmodi matrimo-
nium per baptismum subsequenter non dissol-
varur, superiore cap. hanc attulimus rationem, in
eod. cap. Gaudemus, quòd per Sacramentum Bap-
tismi non solvantur conjugia, sed crimina dimit-
tantur.

Neque movet in Judæis, quòd ipsis permissus
sit libellus repudii, ut, si displicuisset uxor, po-
tuerint eam impunè dimittere, *Deuter 24, cap. &*
can. Non satis xxxiv q. 1, At matrimonium legiti-
mum dici non potest, quòd non continet indivi-
duam vitæ consuetudinem, ut habet definitio
matrimonii, *tit. Instit. De patr. potest. in pr. & in cap.*
Illud 11, sup. De præsumpt. Non igitur est matrimo-
nium apud Judæos. In ejus solutione variant
hic Interpretes. Sed repero, quæ dicta sunt supra,
* quòd matrimonium ideò dicatur indissolubilis
consuetudo sive conjunctio, non quòd semel le-
gitimè contractum nullà ratione dissolvi possit,
sed quoad mentem contrahentium hoc est, quòd
non aliter contrahi possit, quam ut contrahen-
tes perpetuo inter se vinculo conjuncti mane-
ant. Nam ad tempus matrimonium contractum
nullius momenti est, *c. fin. sup. De condit. appof.* Ua-
de non nocet matrimonio, quòd ex post facto
per libellum repudii aut aliter legitime dissolva-
tur.

In Cap. Quod super 5.

SUMMARI A.

1. Affinitas inter quos contrahatur.
2. Affines unde dicti.
3. Affinitas oritur etiam ex concubitu illicito.

Hoc Cap. docemur, affinitatem tantummo-
dò contrahi inter maritam & consangu-
inacq.

neos uxoris suæ, & è contrâ inter uxorem & consanguineos mariti sui. Unde fit, quòd pater & filius cum matre & filia ex alio viro nata rectè matrimonialiter conjugantur. Idem est de duobus fratribus, & de duabus sororibus diversorum parentum, & sic de cæteris. Siquidem inter hos nulla est affinitas, eo quòd primam personam contrahentium affinitas non excedat, *per hunc text. nostr.*

2 Unde quòd Modestinus Jurisc. respondit in l. Non facile 4, §. affines D. De gradib. & affin. dum inquit, Affines sunt viri & uxoris cognati, dicti ab eo, quòd duæ cognationes, quæ diversæ inter se sunt, per nuptias copulantur, & altera ad alterius cognationis finem accedit, accipiendum est eo sensu, quo jam diximus, ut is dumtaxat affinis fiat cognatis uxoris suæ, & è diverso

uxor cognatis viri sui, non quòd omnes cognati inter se affines fiant. Quòd satis ex eo elucet, dum ait, quòd altera cognatio accedat ad alterius finem, id est, extremitatem. Ut enim ager non dicitur affinis vicini agro, quòd hunc locum occupet, sed quòd ad extremitatem ei conjugatur: ita & cognati viri non toti cognationi uxoris affines sunt, sed ejus tantummodò finis, videlicet uxori. Idem est ex parte cognatorum uxoris ratione mariti sui.

Hic tamen repetere necesse est, quòd suprâ ad Rubr. hujus Tit. meminimus, videlicet affinitatem hoc jure nostro non tantum oriri ex matrimonio, sed & ex concubitu illicito, contra jus civile, quo non nisi ex justis nuptiis affinitas nascitur, d. §. affines, de quo latius ad cap. Non debet inf. eod.

In Cap. Quia circa 6.

SUMMARI A.

1. Matrimonium olim inter consanguineos interdictum usque ad septimum gradum.
2. Rescriptum subreptivum nullius est momenti.
3. Dissimulatio expressa habet vim dispensationis.

FACTI species hæc proponitur. Erat quidam nobilis, qui cum matrimonium contraxisset cum Titia in quinto consanguinitatis gradu, & ex eadem prolem suscepisset, postea prole sublatâ è medio, idem nobilis supplicavit summo Pontifici, ut in favorem proles faceret sibi gratiam retinendæ Titia in matrimonio. Quòd & factum est, sed ex falsa causa allegata, utpote defunctâ antea prole. Id animadvertens loci Episcopus rem ad summum Pont. refert, qui hoc textu ita rescribit: *Dissimulare poteris, ut remaneant in copula sic contracta, cum ex separatione (sicut asseris) grave videas scandalum imminere.*

Quòd igitur hoc loco mentio fiat quinti gradus, id accidit propter jus vetus, quo matrimonium interdictum erat inter consanguineos, usque ad septimum gradum, *can. 1. can. De consanguinitate & can. Nulli xxxv. quest. 3.* Hodie verò ab eo discessum est & redactum usque ad quartum consanguinitatis gradum inclusivè, *cap. Non debet inf. eod.* ita quòd in quinto gradu nullâ amplius dispensatione opus sit. Interim manet decisio hujus cap. nostri quoad quatuor priores gradus, sicut supra eod. *ad c. 3.* plenius diximus.

Non autem sine ratione Episcopus consulit summum Pontificem, cum hæc gratia retinendi Titiam ex falsa causa impetrata fuerit. * At verò rescriptum ex narratione falsæ causæ obtentum, tamquam subreptivum, sive obreptivum (idem enim hæc duo significant, l. 1. C. Si nuptia ex falso rescripto per.) nullius momenti est, *c. Super literis 20, & c. penult. sup. De rescript.* Carere enim debet mendax preceptor impetratis, ut loquitur textus in d. *c. Super literis & in l. Et si legibus 5, C. Si contra jus vel util. publicam.* Sed in rescripto summi Pont. semper tacitè, licet expressa non sit hæc clausula, ineffe intelligitur, si preces veritate nitantur, *c. 2. sup. De rescript.* quamvis in rescripto Imperatoris ea necessariò sit exprimenda, l. fin. C. De diversis rescriptis.

Quòd autem ait textus noster, *dissimulare poteris*, &c. mirum est, his verbis dispensationem contineri, ex sententia Glossæ, Innoc. Hostiensis, Joan. Andrea, & Panormit. hic; mirum est, inquam, propter textum in *c. Cum jam dudum 18, in fine sup. De prebend.* ubi inquit textus, quòd multa per patientiam tolerantur, quæ si deducta fuerint in iudicium exigente justitiâ non debeant tolerari. Unde videtur, hanc dissimulationem textus nostri non habere vim dispensationis, sed solius patientiæ, utpote injustæ. Verum respondetur, ideo hic dispensationem intelligi, quòd summus Pont. expressè hanc dissimulationem per-

permitteret: alioqui stultum esset dicere, inquit Innoc quòd hic nobilis & Titia ex dissimulatione summi Pont. perseverarent in adulterio, sive in illicito concubitu. Aliter verò, ubi tacitè dissimulat; nam hac specie non censetur dispensare,

ut in d. c. Cum jam dudum, etiam si aliàs scandalum subesset, si contra fieret, per text. in c. 2. inf. De novi operis nuntiat. Nota tamen ex hoc textu ob grave scandalum evitandum, tamquam ex legitima causa, posse dispensare S. Pontificem.

In Cap. Tua nos 7.

Hoc Cap. docetur, in recensendis gradibus cognationum incipiendum esse à stipite, id est, à communi parente, in quem uterque contrahentium pari gradu vel inæquali

concurrit sursum versus, vel etiam à fratribus, qui à communi parente descendunt. Quod ad cap. sequens latius explicabitur.

In Cap. Non debet 8. juncto cap. fin.

SUMMARI A.

1. Consanguinitatis & affinitatis gradus quoad matrimonii contractum cur abrogati?
2. Affinitas quando contrahatur.
3. Affinitatis genera que.
4. Gradus consanguinitatis & affinitatis triplices.
5. Gradus qui & unde dicti.
6. Inter ascendentes & descendentes computatio eadem utroque jure.
7. Diversitas est in transversalibus, ejusque ratio.
8. Intellectus can. l. xxxv. q. 5.
9. Matrimonii prohibitio inter consanguineos & affines: ad quorum gradum teneat, & cur ea in re variatum.
10. Prohibitionis ratio.
11. Prohibitio illa cur ad quartum gradum redacta.
12. Graduum cognoscendorum ratio.
13. Pœna incestuorum nuptiarum jure civili inducta an & jure Canonum obtineant.

Hoc Cap. celebre & singulare est, teste Panoimit. hic, editum ab Innoc. III. in generali Concil. Lateranensi, quo abrogat duo posteriora affinitatis genera: item tres posteriores gradus consanguinitatis & affinitatis, in quibus secundum veteres Canones interdictum est matrimonium. Initio autem hujus abrogationis causa hæc redditur, quòd tempus nonnumquam efficiat, ut ea, quæ pro salute & utilitate Reipublicæ antè constituta fuerant, postea mutato rerum statu, expediat novà lege latâ immutari, text. hic & in c. fin. in pr. De sentent. excom. lib. 6. & in can. fin. dist. 14. Quippe lex temporari accommo-

daanda est, can. Erit autem lex dist. 4. nam discretè inquit textus noster, quòd ipse Deus ex his, quæ in veteri Testamento statuerat, nonnulla mutaverit in novo. Quod certè non ideo accidit, quòd prior lex, quæ per posteriorem sublata est, rationabilis non fuerit, sed quòd natura & mores hominum eò devenerint, ut antiquâ lege amplius uti non possint. Unde cum tempore Concilii Lateranensis, ex quo hoc cap. desumptum est, corruptior esset natura hominum, quam priori sæculo, factum est, ut posteriora duo affinitatis genera, & tres posteriores gradus consanguinitatis & affinitatis à veteribus Canonibus introducta per hunc textum nostrum antiquata sint, elegant textus in can. Fraternalitatis dist. 34. Cæterum quæ affinitatis genera sint hic dispiciamus.

Meminisse autem oportet, affinitatem tunc contrahi, quando una familia ad alterius familiæ suam accedit, sive per legitimum concubitu, ut in matrimonio, sive per illegitimum, ut in quavis alia conjunctione extra matrimonium, per text. in c. Quod super sup. hoc eod. tit. c. Discretionem 6. & c. penult. sup. De eo qui cognovit consang. uxoris sue. Non quidem quòd omnes persone utriusque familiæ inter se affines sint, sed quòd vir tantummodò fiat affinis cognatis mulieris, & eò contra mulier fiat affinis cognatis ipsius viri, si c. Quod super, & ibi latius dixi. Conjuge quæ dicta sunt sup. eod. ad Rubr. hujus tit.

Ut autem genera affinitatis inter se dignoscantur, constitutum est fratrem vel alium cognatum meum duxisse Titiam in uxorem suam: hæc Titia dicitur mihi affinis in primo affinitatis genere, eò quòd sanguini meo immediatè juncta sit

fit per fratrem vel consanguineum meum. Quod si mortuo fratre sive consanguineo, eadem Titia iterum nupsit, hic secundus maritus Titiz, est mihi in secundo affinitatis genere, quia mihi jungitur per eum, ideo quod is per eandem Titiam prioris affinem meam mihi ita conjunctus sit. Sin Titia mortua secundus hic maritus alteram uxorem duxerit, hæc uxor erit mihi affinis in tertio affinitatis genere, quia mihi jungitur per eum, qui secundo affinitatis gradu mihi junctus est. Nam copula addita copulæ efficit hæc diversa affinitatis genera, propter commixtionem carnis, quæ inter se unum corpus fiunt, sed alter altero conjunctus. Quare eadem supputandi ratio est & ex parte Titiz uxoris fratris vel consanguinei mei, ubi scilicet eam mortuam frater vel consanguineus meus alteram uxorem duxit, & hæc frater vel consanguineus defuncto, rursus alteri viro nupsit. Nam & hic triplex genus affinitatis est, propter diversam inter se copulam sive commixtionem corporum.

Igitur inter hos affines matrimonium interdicitur erat jure antiquorum Canonum, *can. 1. §. 1. hoc quoque & can. fin. xxxv. quasi. 3.* Hodie verò duo posteriora affinitatis genera sunt abrogata, per textum hunc nostrum. Ita quod hodierno jure legitime consistat matrimonium inter sororem meam, & secundum maritum uxoris fratris mei demortui: item inter me & secundam uxorem ejus, qui antea cum amita vel cognata mea matrimonium contraxit; quia utraque uxor non primo sed secundo affinitatis genere mihi conjuncta est.

Idque multò magis obtinet, si inter me & cognatos istius uxoris de matrimonio contentio est, aut etiam de liberis ex secunda uxore natis, cum hi ulteriore gradu affinitatis à me distent, *textus hic in pr. vers. Cum ergo prohibitiones.*

Nec movet, quod & in secundo & tertio affinitatis genere una caro interveniat. Etenim si uxor & frater meus propter commixtionem una caro sunt, consequens est, ut secundus uxoris maritus propter copulam eum eadem conjungatur sanguini fratris mei, & subsequenter meo sanguini propter communionem ejusdem. Non, inquam, movet, quia conjunctio corporum secundi & tertii matrimonii non proprie affinitatem constituunt, sed potius justitiam publicæ honestatis inducunt, quod scilicet indecens videatur, eum vel eam, qui quæ prioris matrimonii conjugii superstite conjunctus est, eo mortuo contra-

here cum consanguineis primi conjugis mortui, *d. can. fin. xxxv. quasi. 1.* Et verò si proprie affinitas esset, major diceretur ea inter duos fratres vel sorores, vel inter patrem & filium cum matre & filia alterius familiæ, ob similem conjunctionem corporum: inter quos tamen nulla est affinitas, cum legitime inter se copulentur, *per text. in cap. Quod super §. Et ibi latius dixi sup. eod.*

Quoad gradus consanguinitatis & affinitatis, triplex in his ordo constituitur. Aut enim sunt superioris ordinis, aut inferioris, aut ex transverso sive ex latere venientes. Superioris ordinis sunt patentes: inferioris liberi eorum: ex transverso sive ex latere fratres & sorores, liberi que eorum inter se. Qui omnes inter se certis gradibus distinguuntur, *can. 2. cum seqq. xxxv. quasi. §. 1. 1. & seqq. D. De gradib. & affinit. Et sic Insti. De grad. cogn.*

Gradus autem dicti sunt à similitudine scalarum, locorumve proclivium, quos ita ingredi-mur, ut à proximo in proximum, id est, in eum, qui quasi ex eo nascitur, transeamus. Ita Paulus in *l. Jurisconsultus §. gradus D. d. tit. De gradib. & affinit.* Verbi gratia, à patre & matre transimus in aviam & aviam, & ab his in proavum & proaviam, & sic deinceps in cæteros superiores. Similiter à patre & matre in filios & filias, post in nepotes & nepotes, & ita consequenter in reliquos inferiores descendentes. In collateralibus, sive ex latere venientibus idem ascensus & descensus retineatur, atque hæc omnia quibusdam quasi gradibus.

Ut autem hi gradus explicatius inter se discernantur; Ex ascendentibus sursum versus primum gradum constituunt pater & mater; secundum avus & avia; tertium proavus & proavia; quartum abavus & abavia, & sic deinceps. Ex descendentibus deorsum versus primum gradum efficiunt filius & filia; secundum nepos & neptis; tertium pronepos & proneptis, & ita subsequenter. Et hæc subductio in gradibus ascendentium & descendentium utroque jure recepta est, ut videre est sub *tit. Insti. De gradib. cognat. in l. 1. & in l. Jurisconsultus 10 §. primo gradu D. De gradib. & affinit. d. can. 2. cum seqq. xxxv. quasi. §. 1.*

At in transversalibus sive ex latere venientibus in graduum supputatione dissensio est inter jus Civile & Canonicum. Etenim jus Civile primum gradum non collocat, sed à secundo gradu incipit, in quo constituit fratrem & sororem; in tertio fratris & sororis filium & filiam; in quarto nepotem & neptem, & sic ex ordine descendendo, *jura allegatis iuribus.* Jus verò Canonicum

primum gradum habet, in eoque reponit fratrem & sororem; in secundo eorum filium & filiam, & ita deinceps, *can. Ad sedem, can. Parentela cum can. seq. xxxv. quast. 5.*

Diverſitatis ratio eſt inter utrumq; jus, quod jus Canonicum in recensendis gradibus habeat rationem matrimonii, cuius contrahendi cauſa prima dici poſſet inter fratrem & ſororem, quem admodum in principio orbis conditi ſunt inter filios & filias Adami & Evæ primorum parentum noſtrorum: quamvis hodie eo jure non utamur, ſicut latiùs dixi *ad c. 3. ſup. eod.* Secunda inter fratris & ſororis filios, & ſic ſubſequenter, *d. can. Ad ſedem & d. c. Parentela.* At jus civile in conſtituendis gradibus nullam aut vix habet rationem matrimonii inter collaterales, cum eo jure reſtè inter ſe conjungantur duorum fratrum & ſorum liberi, vel fratris & ſororis, *ſ. duorum Inſtit. De nupt. & l. 3. D. De ritu nupt.* Sed ſolummodò videtur habere rationem ſucceſſionis hæreditariæ, quo ſcilicet modo ex collateralibus alter alteri ſuccedat ab inteſtato, *d. can. Ad ſedem.* In qua ideo incipit à ſecundo gradu, quod, mortuo fratre vel ſore, primum omnium ad ejus hæreditatem vocentur pater & mater, ac proinde hi primum gradum in ſuccedendo occupant. Poſt hos vocantur frater & ſoror, *d. l. Juriconſultus 10. §. nam quoribus, verſ. idem faciendum D. De gradib. & affin. §. repetitis Inſtitut. De ſervilitate cognat.* Idque ante Novellas à Juſtiniano editas. Nam in Novella 118 *De hæred. ab inteſt. venient.* vocantur frater & ſoror utrimque conjuncti in hæreditatem defuncti unâ cum parentibus, & ſic permixtim hodie frater & ſoror primum gradum cum parentibus ſuis conſtituant.

Non obſtat textus in *can. 1. xxxv. quast. 1.* quo ab Iſidoro primo gradu numerantur fratris & ſororis filii, ſecundo nepos & neptis, tertio per nepos & proneptis: omiſſis fratre & ſore, quos truncum ſive ſtipitem eſſe vult. Sed excuſat eum, ejuſque ſimiles Alexander ſummus Pont. in *d. can. Ad ſedem §. ſunt enim quidam xxxv. quast. 5.* quod licet hi varient in numero graduum, tamen in ſententia cum aliis reſtè convenient. De enim à filiis fratris & ſororis incipiunt, eo citiùs ceſſant in enumeratione graduum prohibitorum, videlicet in ſexto gradu. Igitur ſive à fratre & ſore initium ſumatur, tamquam à primo gradu & ad ſecundum uſque gradum deveniatur, quo ſecundum antiquos Canones interdictum eſt matrimonium, *can. Nullum & can. De conſanguinitate*

xxxv. quast. 2. 2. ſive incipiatur à filiis fratris & ſororis, tamen res in idem recidit, cum hæc prohibitio ſextum gradum non excedat. Ita ſit, quod eſt frater & ſoror ab Iſidoro & aliis omittantur, nihilominus hi gradum re ipſâ conſtituant. Idem retinendum eſt, ſi quis hodie (quo matrimonii prohibitio coarctata eſt ad quartum uſque gradum, juxta textum noſtrum) velit incipere non à fratre & ſore, ſed à filiis fratris & ſororis; nam eo citiùs deſiſtet, videlicet in tertio gradu. Sed melius eſt incipere à fratre & ſore, prout ante dictum eſt, vel ſaltem à communi parente, *c. Tua 7. ſup. eod.* qui tamen nullum gradum efficit, ſed eſt tantummodò radix, ſive truncus, unde gradus naſcuntur.

Cæterum ad textum noſtrum propiùs redeundo, quo inter conſanguineos & affines matrimonii prohibitio ad quartum uſque gradum reſtricta eſt: ſciendum eſt, primò omnium à Fabiano ſummo Pont. circa annum Domini 239. ſancitum fuiſſe, ne qui omninò matrimonium contraherent in tertio conſanguinitatis vel affinitatis gradu; ſimiliter nec in quarto gradu. At tamen ſi in quarto gradu contractum fuerit, cenſeretur ob hoc matrimonium diſſolvendum eſſe, *text. eſt in d. can. De propinquis xxxv. quast. 2.* Poſt quem Julius I. anno Domini 337. aut circiter hæc prohibitionem matrimonii produxit uſque ad ſeptimum gradum, *can. Nullum & can. Equaliter & quast. 2.* donec ad Innocentium III. devenit eſt, qui anno ſalutis 1215. in generali Concilio Lateranenſi prohibitionem hæc ad quartum gradum re vocavit; ita tamen, quod nullum inter conſanguineos & affines ad quartum uſque gradum poſſit conſiſtere matrimonium, *text. hic incip. Non debet.* Quo jure hodie utimur, niſi quod Concilium Tridentinum illud ſingulare induxit quoad affinitatem ex fornicatione proveniente, ut hæc ſecundum gradum non excedat, *ſeſſ. 24. c. 4. in decreto de reformat. matrim.* Igitur qui primis quatuor gradibus ſe mutuo non attingunt, reſtè inter ſe contrahunt matrimonium. Idem eſt, ſi unus in quinto vel ulteriore gradu ſit, alter in quarto, tertio, ſecundo, vel etiam primo; eo quod is, qui quinto gradu vel remotiori eſt, trahat ad ſe viciniorem ſtipitem, & in eodem ſecum gradu collocet, in favorem matrimonii, *c. ſin. inf. eod.*

Hujus autem prohibitionis inter cognatos & affines rationem hæc reddit D. Auguſtinus in *can. 1. xxxv. quast. 1.* ut matrimonium hæc ratione eſſet ſeminarium quoddam charitatis ſive amicitie

zix cum extraneis hominibus. Quippe per matrimonium conjunguntur & colligantur animi hominum novo quodam necessitudinis vinculo: qui fructus Reipublicæ facile interiret, si promiscuè inter cognatos & affines matrimonium permetteretur. Quis enim ignorat, naturâ nos magis propendere in conjunctiores nobis, quàm in extraneos?

Quod verò primum à Fabiano §. Pont. matrimonium inter consanguineos & affines tantummodò ad quartum gradum, & non ultra interdicitur fuerit, puto id temporè tribuendum esse, quo rarior erat Christianorum numerus, veluti sub Maximino & Gordiano Imperatoribus Ethnicis, ut scilicet eo faciliùs Christiani inter se possent inire matrimonium. At cum tempore Lucii I. qui vixit sub Constantino Imp. Christiani in immensum aucti essent, ideo hæc prohibitio ad septimum usque gradum relictus producta fuit, ut ita præsentius esset remedium ad devinciendos inter se diversorum hominum animos, uti ex D. Augustino jam ante diximus. Sed cur præcisè ad septimum gradum, & non ultra? quamvis responderi possit, illud arbitrarium fuisse legislatori, id est, ei, qui hunc canonem tulit, ut pro arbitrio suo ita statuerit; tamen in promptu ratio est, quòd putetur virtus sanguinis ipsius stipitis in descendantibus tot generationibus deficere & extingui. Unde meritò permittitur in octavo gradu idem sanguis restitui per matrimonium, *can. Ad sedem vers. isti enim qui numerandi initium xxxv. quest. 5. Et can. in ead. quest. 4.*

11 Hic objicies: cur igitur per hunc textum nostrum abrogati & detracti sunt tres posteriores gradus, videlicet, quintus, sextus, & septimus? Hujus rei causam rejicit textus noster in imbecillitatem humanæ naturæ, dum inquit, in ulterioribus gradibus jam non posse absque gravi dispendio hujusmodi prohibitionem generaliter observari. Igitur incontinentia hominum suavit, ut à septem illis gradibus discederetur, & coarctaretur prohibitio ad quartum tantummodò gradum. Est enim lex accommodanda temporè, *can. Erit autem lex distincta. 4.* Quòd pertinet illud Pelagii summi Pont. Defectus, inquit, nostrorum temporum, quibus non solum merita, sed corpora ipsa hominum defecerunt, distinctionis illius non patitur in omnibus manere censuram, *textus est in can. Fraternitatis dist. 34.*

Quod autem additur in textu nostro, ideo ad

quartum gradum prohibitionem hanc redactam esse, quòd *quatuor sint humores in corpore*, non concludens ratio est, cum & semper iidem humores fuerint in corpore humano, *cap. In quodam 8. in fine sup. De celebrat. Miss.* sed motiva & planè physica est, sicut explicat D. Thom. in IV. *Sentent. dist. 4. quest. 1. artic. 4. in respons. Et Bellarm. de matrim. Sacram. cap. 29. in fine.*

Ad cognoscendum autem, quoto quis gradu distet à suo consanguineo, ante omnia investigandum est, in quem tamquam communem parentem uterque concurrat. Quo invento, incipiat ab utroque, si æquales gradus sint, vel à remotiori, si in gradu sint inæquali; qui hic proximorem stipiti ad se trahit favore matrimonii, ut ante dictum est. Deinde ab hoc gradu, qui proximus est, transitus fiat in proximum gradum ascendendo, & sic consequenter per singulos gradus proximum semper numerando, donec ad communem parentem deveniatur. Qui tamen parens gradum non facit, sed suus filius & filia primum gradum constituunt, deinde secundum horum filius & filia, donec ita descendendo redeatur ad eos, de quorum conjunctione agitur, sicut latius videre est in arbore consanguinitatis, quæ vulgò in impressis libris circumfertur.

Eadem observanda sunt quoad affines in subductione graduum. Nam cum maritus una caro sit cum uxore sua, propter commixtionem corporum, rectè sequitur, sororem uxoris esse marito in primo affinitatis gradu; filiam verò uxoris ex alio scilicet viro conceptam, vel filiam sororis uxoris marito esse in secundo affinitatis gradu, & consequenter neprem in tertio gradu, atque ita subsequenter. Eadem ratione uxor fratris vel alterius consanguinei mei eodem mihi gradu est, quo frater vel consanguineus, *can. Porro xxxv. q. 5.*

Hic generaliter meminisse oportet, quòd supra passim diximus, in descendentè linea filium & filiam facere primum gradum, nepotem & neprem secundum & c. item in collateralibus fratrem & sororem primum, & eorum filios & filias secundum gradum; id verum esse, sive unus tantum filius sit, sive filia, nepos vel neptis, frater vel soror, sive etiam in eodem gradu plures simul personæ, veluti plures filii, plures filix, plures fratres, plures sorores, nepotes, vel neptes. Nam ob id non multiplicantur gradus, quòd plures personæ in eodem gradu sint, neque idcirco diminuuntur, si forte una tantum persona sit in gra-

du; cum gradus ex varia generatione anius ex altero metiamur & æstimemus.

In fine textus nostri irritatur omninò matrimonium intra quartum consanguinitatis & affinitatis gradum contractum, ad eò ut diuturnitate temporis hujusmodi matrimonium defendi non possit. Quippe diuturnitas temporis, inquit, non minuit peccatum, sed auget; tantoque sunt graviora crimina, quanto diutius infelicem animam detinent alligatam. Quæ ratio ad similes casus, ubi peccatum vertitur, pertrahenda & accommodanda est, ut *viderelatus est cap. Non satis cum cap. seq. inf. De Simonia, facit cap. ult. sup. De consuetud.*

Cæterum cum supra annotaverimus differentiam inter jus civile & Canonicum, quòd illud in consanguineis & affinibus collateralibus non ad tot gradus matrimonium prohibeat, imò præter fratrem, sororem & ejusdem filiam indistinctè in reliquis permittat matrimonium, §. *duorum Insti. De nupt.* Jus verò Canonicum quatuor priores gradus prohibeat, per hunc text. nostr. incidit hinc elegans questio, an pœnæ, quæ contra incestas nuptias contrahentes à jure Civili inductæ sunt, ut est confiscatio bonorum, & exilium, & si vilis persona sit, etiam corporis castigatio, juxta *Novel. 12. de incestu & nefar. nupt. & Auth. Incestus C. De incestis & inuis. nupt.* habeant locum in incestis nuptiis de jure Canonico? Jus autem civile vocat incestas nuptias, quæ inter ascendentes & descendentes, vel inter fratrem & sororem, vel ejus filiam contractæ sunt, *text. in l. fin. D. De rit. nupt. §. ergo Insti. De nupt. & in l. si adulterium cum supra 38. in pr. & §. 1. D. Ad L. lul. de adult.* Jus verò Canonicum vocat nuptias incestas quæ in quarto gradu inter consanguineos & affines contrahuntur; *can. Erit autem lex §. incestus xxxvi. quest. 1. Covarr. in 4. Decretal. part. 2. cap. 6. §. 8. in princ.*

Sunt in hac quæstione, qui putant, eandem pœnam locum habere etiam quoad incestum de jure Canonico, cum Novella illa ad Canones quoque transferenda sit. Atque hujus sententiæ est *Did. Covarr. jam allegato loco num. 30.* ubi & ex Decio testatur hanc esse communem opinionem, quam & probare videtur *Joan. Bernard. Diaz in pract. crim. Canon. c. 58. §. incestus* Alii rectius contrarium sentiunt, ut scilicet dicta pœna locum non habeat, nisi in incestis nuptiis de jure Civili. Ita post *Calderinum Dominicus Geminianus consil. 71. Alciatus ad cap. Cum contingat §. 4. sup. De jur. jur.* Et hanc contrariam opinionem communior, probabilior, & magis consonam veritati testatur ex *Follerio Julius Clarus in §. Incestus nu. 3.* quam & ipse ibidem sequitur; nisi (inquit) contrariâ consuetudine, quæ est optima legum interpres, aliud obtineat. Cujus ratio non ea est, quam comminiscitur *Alciat. jam d. loco*, quòd videlicet tempore illius *Novellæ 12.* nondum erat conditum jus Canonicum, quòd falsum esse ex *Fabiano S. Pont. probavimus*; sed quòd de jure naturali non sit prohibitum matrimonium inter filios fratrum & sororum, qui jure Canonico sunt in secundo gradu, ac proinde hi contrahentes pœnam juris Civilis, quæ de nefariis nuptiis constituta est, non incurrunt, *argum. l. Gracchus 4. C. Ad L. lul. de adult.* Et sanè iniquum esset, pœnam juris Civilis ad ejusdem juris constitutiones accommodatas, ad alios casus velle traducere, contra *cap. In pœnis & cap. Oidia De R. 1. in 6. & l. Interpretatione D. De legib.* Et hæc eadem observanda sunt in incestu simplici, ut, si de huius pœnâ quæritur in foro Civili, ea non exigatur secundum præscriptum Juris Canonici, sed Civilis. Etiam si *Covarr. & si qui alii sunt, his refragentur, sed absque textu & ratione.*

IN TIT. XV. DE FRIGIDIS ET MALEFICIATIS, ET IMPOTENTIA COEUNDI.

SUMMARIUM.

1. *Frigidi & maleficiati qui dicantur.*
2. *Matrimonium cur tales frustra contrahant.*

Hoc Tit. aliæ recensentur personæ, inter quas matrimonium consistere non potest, ut sunt frigidi, maleficiati, aut aliter impotentes ad coeundum.

Frigidi hoc loco dicuntur, qui naturali frigiditate ita constantur, ut mulieri committere non possint. Maleficiati, qui improbi hominis veneficio sive fascinatione constructi idem naturæ officium exercere non possunt. Aliter verò impotentes sunt mulieres ita obstructæ, quòd virum admittere non possunt. Item impuberes, spadones, castrati, & quibus virilia præcisa sunt.

Hic.